



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum aliquis possit absolui ab vna excommunicatione, nisi absoluatur ab
omnibus? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

iuste latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est.

ARTIC. III.

Virum aliquis possit absolui ab vna excommunicatione, nisi absoluat ab omnibus?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod aliquis non possit absolui ab vna excommunicatione, nisi absoluat ab omnibus. Effectus enim debet proportionari suæ causæ. Sed causa excommunicationis est peccatum. Cum ergo aliquis non possit absolui ab vno peccato, nisi absoluat ab omnibus, nec in excommunicatione hoc esse poterit.

¶ 2 Præterea, Excommunicationis absolutio in Ecclesia fit. Sed ille qui vna excommunicatione est irretitus, extra Ecclesiam est. Ergo quamdiu vna manet, ab alia absolui non potest.

SED contra, Excommunicatio quædam pœna est. Sed ab vna pœna aliquis liberatur alia remanente. Ergo ab vna excommunicatione alia remanente quis absolui potest.

RESPONDEO dicendum, quod excommunicationes non habent connexionem in aliquo: & ideo possibile est quod aliquis ab vna absoluat, & in altera remaneat. Sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab vno iudice: & tunc quando absoluitur ab vna, intelligitur ab omnibus absolui, nisi contrarium exprimat, vel nisi cum quis absolutionem impetrat de vno tantum casu excommunicationis, cum tamen pluribus excommunicatus sit. Quandoque autem est excommunicatus pluribus excommunicationibus à diuersis iudicibus: & tunc absolutus ab vna excommunicatione non propter hoc est absolutus ab altera, nisi omnes alij ad petitionem eius, absolutionem eius confirmauerint, vel nisi omnes demandent vni absolutionem.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia peccata habent connexionem in auersione voluntatis à Deo, cum

cum qua non potest esse peccatorum remissio: & ideo vnum peccatum sine altero remitti non potest. Sed excommunicationes non habent aliquam talem connexionem, nec iterum absolutio ab excommunicatione impeditur, propter voluntatis contrarietatem, ut dictum est *. Et ideo ratio non sequitur.

* hoc eodem art. et ar. p^{re}ced. sed.

Ad secundum dicendum, quod sicut pluribus de causis erat aliquis extra Ecclesiam: ita possibile est quod ista separatio remoueat quantum ad vnam causam, & maneat quantum ad alteram.

QVÆST. XXV.

De indulgentia secundum se, in tres articulos diuisa.

de materia, cap. quod autem, et c. nostro, de poenit. & remiss.

Consequenter considerandum est de indulgentia. Et primo de ea secundum se. Secundo, de facientibus indulgentiam. Tertio, de recipientibus eam.

¶ Circa primum queruntur tria.

- ¶ Primo, vtrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria?
- ¶ Secundo, vtrum indulgentiæ tantum valeant quantum pronuntiantur?
- ¶ Tertio, vtrum pro temporali subsidio sit indulgentia facienda?

ARTIC. I.

Vtrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria?

97
Tho. 4 d. 20. q. 1. ar. 3. q. 1. c. seq. * gloss. or. ibid.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod per indulgentiam non possit aliquid remitti de poena satisfactoria. Quia super illud 2. Timoth. 2. Neque seipsum non potest, dicit gloss. * quod faceret, si illa sua non impletet. Sed ipse dixit Deut. 25. Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus. Ergo non potest aliquid remitti de poena satisfactionis, quæ data secundum quantitatem culpæ.

¶ 2 Præterea, Inferior non potest absolute ab eo, ad quod superior obligauit. Sed Deus in absoluto a culpa, obligat ad poenam temporalem, ut dicit Hugo